B. N. C
FIRENZE
1059
12

Digitized by Google

Musc. 1059.

Digitized by Google

XXXIV
704.
Digitized by Google

1059. (2)

THESES
EX VTRAQVE THEOLOGIA DOGMATICA ATQVE SCHOLASTICA

Publicę diſputationi expoſitæ

IN ABBATIA SANCTÆ MARIÆ PATRVM CASINENSIVM

FLORENTIÆ.

Apud Cæſarem de Bindis, ſub Signo S. Bernardi.
Superiorum permiſſu. 1704.

1.59.12

Digitized by Google

REVERENDISS. PATRIBVS
D GREGORIO A REGIO
D· FELICI A MONTOPOLI
CONGREGATIONIS CASINENSIS

VISITATORIBVS VIGILANTISIMIS

D. Stephanus Ioſeph a Luca

COgitanti mihi, Reverendiſſimi Præſules, quam arcto neceſſitudinis vinculo utraque Theologia Dogmatica atque Scholaſtica implicentur, mirari ſubit, quo fato fieri poſſit, ut hæc, quæ de Deo diviniſque rebus naturæ, mentiſque acumine diſſerit, adeo noſtris temporibus in hominum exiſtimationem devenerit, ut omnia qua privatis, qua publicis diſputationibus perſtrepant, illa verò, quæ in ſacrarum divinarumque literarum, Patrum, ac Conciliorum auctoritatibus verſatur, aut contemnatur, aut nullo certe loco habeatur. Video ſiquidem res natura coniunctiſſimas ſecerni atque divelli, duplicemque cenſeri Theologiam, cum una ex utraque facultas exiſtat. Etenim ſi omnes

artes, quę ad humanitatem pertinent, habent commune quoddam vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur, num id de Dogmatica atque Scholaſtica Theologia negare non dubitabimus? Immo vero fateamur oportet miſeram eſſe Scholæ doctrinam quæ ſacrarum literarum fundamentis non ſit conſtituta, quæque detracta veterum Patrum ac Conciliorum auctoritate, ſolius humani ingenii ope freta ſyllogiſmis contortis de divinis rebus philoſophetur. Quæ omnia cum eximię ſapientiæ veſtræ Reverendiſſimi PP. nota compertaque ſint, Vos precor obteſtorque ut ea humanitate qua heſterna die ſacros Canones excepiſtis, hodierna utramque Theologiam, cuius par omnino dignitas, amplitudo, atque maieſtas, excipiatis. Ex quo illud profectò conſequetur, Scholam noſtram ad literarios labores alacrius proſequendos excitari, induſtriam acui, animos ad ſcientiarum amorem acrius incendi, ſi nimirum ſtudijs noſtris ex ſingulari Patrocinio veſtro decus atque præſidium acceſſerit.

THESES
THEOLOGICÆ

I.

DEum exiſtere variis argumentis oſtendi poteſt & oſtendunt PP. Athan. l. contra Gent. Damaſc. 1. lib. Anſelm. in Monol. c. 1. & ſeq. Rich, Victorinus l. 1. de Trinit. c. 6. & ſeq.

II.

Probatur quoque unum eſſe Tertul. l. 1. contra Marc. c. 3. Athan. contra Gent. Auctor. l. de Trin. c. 4. Nyſs. in Prologo Catechetici libri, Anſel. Monol. c. 3. & 4. Ambroſ. l. 1. de Fide c. 1.

III.

Eſſentia Dei in eo ſita eſt quod ſit id quod eſt Euſeb. xi. de Prępar. Evang. Hilar. Hieron. Aug. Nazianzenus, ſed omnibus præſtantius Dionys. in l. de divinis nominibus.

IV.

Attributa divina ab eſſentia non diſtinguuntur realiter, Bernard. pluribus in locis contra Gilbertum Porretanum.

V.

Deus eſt incorporeus, Naziaz. 4. & 30. orat. Orig. l. 1. Periar. c. 1. Novat. l. de Trinit. c. 6. non tamen ſolus Deus, ſed anima rationalis, & Angeli quoque ſunt omnino corporis expertes Concil. Latera ſub Innoc. 3. in Decreto Fidei.

VI.

Immutabilis eſt Deus, Iacob. Apoſt, 1. 17. Ps. 101. Malach. 3. 6. Sap. 7. 27. paſſim concilia & PP.

Deus

VII.

Deus eſt ęternus, in cuius eternitatem tria concurrunt exclufio initij, ſucceſſionis, & finis Tertul. l. 1. contra Marc. c. 8. Nazian. orat. 8. & 30. Nyſs, Diony, Aug. Greg. M. at pręter ipſum nulla alia res fuit ab ęterno contra quod ſentit Eugubinus in Coſmopoeia, & in libello de rebus incorporeis, & inviſibilibus de Luce quadam increata a Dei ſubſtantia diverſa cui nullatenus ſuffragatur Baſil. Hom- 1. in Hexaem.

VIII.

Deus eſt immenſus & ratioue immenſitatis ubique eſt ac nullo ſpatio definitur Clem. in 6. Strom. Orig. hom. 12. in Gen. Teophil. l. 2. ad Autolycum, Anſel. c. 18. Monol. Hilar. Didi. Ambros. Baſil. Paſchaſ. ſed omnium copioſiſſime Aug. pluribus in locis, pręſertim Ep. ſeptima, & quinquageſima, quæ tota eſt de hoc argumento.

IX.

Divina ſcientia omnia in ſeſe, & in ſua natura cognoſcit, Dion. c. 7. de divinis nominibus, Aug. c. 7. l. 11. de civitate Dei. Anſel. Monol. c. 24. & ſeq. quantumuis exigua, & abiecta ut ex ſacris literis paſſim docetur Gen. c. 1. Iob. 28. Pſ. 49. & 137. Eccleſ. c. 1. & alibi paſſim, Hieron. locus in coment. ad 1. caput Habacuc non eſt intelligendus de ſcientia cognitioneque mera, ſed de peculiari providentia.

X.

Ipſa quoque futura libera, & contingentia per divinam ſcientiam certo, & infallibiliter cognoſcuntur, ut ſapientiſſime docent ſcripturæ, & Patres, licet aliqui ex iſtis in Deo Pręſcientiam negent quia futura iſta ſic Deus contemplatur ut ex omni ęternitate pręſentia & coram poſita habeat.

XI.

Item futura contingentia non re ipſa futura ſed quę futura erant certa conditione poſita quæ nunquam ponenda ſit Aug. pluribus in locis velut in libro de dono Per-

ſev.

ſev. c. xi. l. 1. 97. ad ſimplicianum q. 2. l. 2. Prædeſtin. SS. c. 14.

XII.

In Deo datur plenà, & perfecta libertas, Pſ. 134. ad rom. 9. Iacob. c. 1. ſuæ Canonicæ, Ambroſ. l. 2. Hexae. c. 2. Baſ. Hom. 1. in Hexaem. Bernard. in l. de Gratia, & libero arbitrio.

XIII.

Actio libera divinæ voluntatis qua Deus vult quidquid vult re ipſa a divina eſſentia non differt ut quidam arbitrantur, cui opinioni Baſ. Nyſſ. & alij nequaquam conſentiunt, hi enim, & alij antiqui de ſola externa voluntatis actione non interna locuti ſunt, ſed debet explicari per ipſam actualitatem actus neceſſarij libere terminati ad creaturas Anſ. c. 5. de concor. Præſc. Dei cum lib. arb. de volun. Dei c. 5.

XIV.

Deus ut in ſe eſt ſolis naturæ viribus cognoſci non poteſt, quod probant omnes illæ ſcripturæ, & PP. authoritates quibus Deus, [illegible], [illegible], [illegible], [illegible], [illegible] appellatur.

XV.

Deus in futura vita a Beatis clare; & ſecundum eſſentiam videtur Matth. 18. 1. Cor. 13. Iohan. 3. 2. & in Flor. Synodo definitum.

XVI.

Cognitio autem divinæ eſſentiæ comprehenſiva nullatenus creaturæ poteſt competere; ad quod probandum faciunt omnia illa ſcripturæ, & PP, loca quibus inacceſſibilis Diviniratis caligo exaggeratur.

XVII.

Oculis quoque corporeis videri non poteſt, Orig. l. 1. de Princip. Cyrill. Catech. 9. Chryſ. hom. 39. in Gen.

XVIII.

In Beatis datur inæqualitas viſionis, in qua felicitas æterna conſiſtit, innumera ſunt ſacrorum librorum loca qui-

bus-

bus hoc aperte ac ſine ambiguitate traditur cui haud quaquam obſtat Parabola operariorum quæ eſt Matth. 20. ex qua æternæ compenſationis æqualitas adſtrui videtur.

XIX.

De lege ordinaria nulli viatorum Dei viſio in hac mortali vita conceditur Anſ. hom. 4. in Matth. & orat 19.

XX.

Deus ante quamcunque prævisiorem meritorum ſive abſolute ſive conditionate futurorum voluntate efficaci elegit ad gloriam quos voluit ante mundi conſtitutionem prædeſtinare, & hanc veram germanamque eſſe S. Auguſtini ſententiam tuetur P. Petavius, in lib. nono Theologicorum Dogmatum de Prædeſtinatione a cap. 6. uſq. ad c. 16.

Diſputabuntur ſub Aſſiſtentia P. D. Angeli Mariæ a Venetijs utriuſque Theologiæ, ſacrorumque Canonum Lectoris.

99 95853/ 1056 12 2

Digitized by Google

Digitized by Google